



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. IV. Corollaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

Respondeo in illa hypothese intellectum Angelicum fore secundum quid imperfectiorem, quod actu careret speciebus alia se representantibus; simpliciter tamen perfectiorem, quia & seipsum modo longè perfectiori cognosceret, & haberet radicalem inclinationem ac capacitatem ad habendas species longè perfectiores, quam conveniat naturæ humanæ.

10. Objicies tertio. Objecta sensibilia habent efficaciam ex se diffundendi species sensibiles: ergo etiam objecta intelligibilia habent efficaciam ex se diffundendi species intelligibiles in intellectum Angelicum.

Respondeo negando paritatem. Nam potentia sensitiva seu materialis, sicut ab agente materiali fuit producta, ita etiam subest activitati objecti sensibilis materialis, adeoque per educationem specierum sensibilium ab eodem immutari potest: ac intellectus spiritualis Angeli, sicut consequitur actionem creativam DEI, ita à nullo extrinseco agente quam DEO se patitur immutari.

11. Objicies quarto. Sequeretur primo. Angelum habere fermè infinitas species, cum ejus cognitio versetur circa objecta propemodum infinita. Secundo. Angelum naturaliter cognoscere futura contingentia & secreta cordium; ea quippe naturaliter cognoscit, quorum inditas habet species naturales; sed habet etiam istorum objectorum species inditas: ergo.

Respondeo ad 1. plura objecta Angelo per unam speciem representari v. g. omnia individua Leonum per unam speciem representativam totius naturæ Leoninæ, &c. unde non sequitur illarum.

2. Respondeo ad 2. negatè utraq; sequelâ distinguendo majorem probationis: eorum habet naturalem cognitionem, quorum habet species, si adsint conditiones ad objecta in actu secundo representanda, concedo, secus, nego. quales autem sint illæ conditiones constabit ex disput. seq.

#### §. IV.

##### Corollaria.

13. Inferes primo. Species Angelicas non fluere ad instar proprietatum ex Angeli essentia: ita

colligitur ex verbis Doctoris Angelici infr. q. 89 a. 1. ad 3. & a. 3. in C. dicentis: *illas species esse ex influentia Divini luminis participatas & infusas.*

Ratio est primo. Qualiter essentia est ab intrinseco determinata ad suas proprietates: sed Angelus non est ab intrinseco determinatus ad suas species: ergo illæ non se habent ut proprietates. Minor probatur. Angelus non est magis determinatus ad species, quam ad cognitionem objectorum, siquidem species, ut essentialiter imago sui objecti, deservit cognitioni, & datur propter ipsam; atqui Angelus non est ab intrinseco determinatus ad cognitionem horum objectorum: cum objecta sint à DEO libere posita, destruibilia, & multiplicabilia in infinitum: unde quod Angeli habeant cognitionem, & specierum omnium in hoc mundo existentium, provenit ex suppositione liberi decreti, quo DEUS voluit condere hoc universum, tot talibusque speciebus instructum, in eoque Angelos collocare: quod si vel extra omne Universum, vel in alio mundo Angelos condidisset, etiam istorum objectorum species non accepissent. Nec prinde species rectè dicuntur proprietates Angelicæ, cum proprietates essentia necessariò, invariabiliter, & ab intrinseco competat.

Secundo. Proprietates se tenent ex parte essentia, ex qua tanquam principio emanativo resultant; e contra species intelligibiles tenentur ex parte objecti, & ad essentiam seu intellectum Angeli tanquam ad potentiam purè passivam, & le actuabilem comparantur, non igitur sunt ipsius proprietates.

Inferes secundo. Species tamen rectè dicuntur Angelo connaturales: non quia ab essentia Angeli fluunt, seu à principio emanativo; sed primo quidem, quia perficiunt intellectum Angelicum, tanquam potentiam passivam à se connaturalem perfectibilem; Secundo, quia à DEO intenduntur juxta intrinsecam exigentiam naturæ Angelicæ, quæ propter suam summam perfectionem potest, ut intellectivæ potentia, ab initio creationis sit per formas intelligibiles simul exhausta in actu primo completa. Quæ obijciuntur, levia sunt, & à Philosophis in Tract. de anima passim solvuntur.

## ARTICULUS II.

### *An perfectior Angelus habeat Species universales?*

#### SUMMARI A.

1. Notio universalitatis in specie intelligibili.
2. Ejus possibilitas ostenditur.
3. Talis species dicitur perfectionem.
4. Angelus intelligit per species universales.
5. Perfectior per universales.
6. Universalitas in essendo est imperfectio.
7. Non sequitur, quod Angelus omnia possit cognoscere per suam substantiam.
8. Species intelligibilis sumit unitatem ab objecto in esse objecti.
9. Quid dicendum in casu, quo DEUS crearet inferiores Angelos?

#### §. I.

##### Exponitur universalitas Speciei.

NON loquimur de universalitate cognitionis ex parte objecti, & naturæ cognitæ, per quam natura communis à suis inferioribus particulis cognoscitur, idèque universalis in essendo denominatur: sed de universalitate cognitionis ex parte mediæ cognoscendæ, sive speciei, per quam una eademque species plura objecta, & quidditates specificas secundum ultimas earum differentias clarè & distinctè obijcit cognitioni, idèque dicitur universalis in representando. De